Anabaptist Tyra... 5

ECCLESIAE GEMITVS SUB Anabaptisticâ Tyrannide.

Thren. V. 15. & seq.

Cessat gaudium animi nostri, convertitur in luctum chorus noster.

Cecidit Corona capitis nostri; Væ nobis quia peccavimus.

Propter hoc est languidum cor nostrum, propter hoc obtenebrati sunt oculi nostri.

Propter montem Sionis qui desolatus est, per quem impunè grassantur vulpes.

Anno Dom. 1649.

Æræ Martyrii CAROLI I. Britanniarum Regis, Anno primo.

Errata sic corrigenda.

Pag. 6. l. 9. conceſſam. pag. 19. l. 21. civilis. pag. 24. l. 3. conſtat. pag. 32. l. 22. Pontificem. pag. 41. l. 26. habebant.

Anabaptistic Tyra... 5

ECCLESIAE GEMITVS SUB Anabaptisticâ Tyrannide.

Thren. V. 15. & seq.

Cessat gaudium animi nostri, convertitur in luctum chorus noster.

Cecidit Corona capitis nostri; Væ nobis quia peccavimus.

Propter hoc est languidum cor nostrum, propter hoc obtenebrati sunt oculi nostri.

Propter montem Sionis qui desolatus est, per quem impunè grassantur vulpes.

Anno Dom. 1649.

Æræ Martyrii CAROLI I. Britanniarum Regis, Anno primo.



Bonis Omnibus,

Hodiernis & Posteris.

Deste quotquot Deum, & Ecclesiam amati & gemitibus nostris aggemite. *Hoccine nihil ad vos omnes prætereuntes? Intuemini, & videte an sit dolor par dolori nostro, quo nos affecit Deus in die æstûs iræ suæ* Ecclesia Anglicana nuper hostium invidia, & admiratio, nunc eorundem præda, & ludibrium; Deum, homines, cœlum, terram, hoc seculum, & ventura omnia ad ærumnarum suarum, & hostium sceleris æquam æstimationem appellat.

Neque verò mala quæ patimur, sed flagitia quæ patrantur hîc lugemus, & Evangelii ruinam, non nostram. Vos testor omnes Ecclesiasticæ historiæ periti, ecquid in omnibus retro seculis inveniſtis usque adeò fœdum, & horrendum quod à nostrorum Anabaptistarum scelere longo intervallo non relinquatur? Enimverò non unum, aut alterum dogma Religionis impugnant; Totum ab imis fundamentis sacræ doctrinæ systema emoliuntur; dum cuique quod libet, licet de Deo, & dicere & docere, & blasphemiæ palàm patrocinatur nova Tyrannis. Libet cuiquam Mahometem adorare, aut Mercurio thus adolere, aut Baccho celebrare Orgia? habet legem, quâ se tueatur. nimirum homines qui nullâ lege teneri volunt, unam tamen legem sedulò tulerunt, ut neminem reum faciat sua Religio. Cui enim unquam fraudi fuit, his judicibus, sacram Virginem probris

inceſſiſſe, Chriſti Divinitatem negàſſe, equos in Ædem ſacram induxiſſe & baptizàſſe?

Non mirum igitur ſi homines, qui in Chriſtum vibrant convitia, Iudæos ſibi ſocios publicè advocant, ut nempe ſint qui Senatûs-conſulto muniti audeant Chriſtũ impoſturæ accerſere, & blaſphemia habeat cúm in autoritate, tum in multitudine ſubſidium. Fortè etiam eſt occultus Syncretiſmus inter interfectores Meſſiæ & *Caroli* Regum. Vtrique enim Chriſtum Domini & Regem *Iſraelis* nefario parricidio violaverunt.

Antehac mirabamur quod innumerorum qui cædem Regi minitati fuerant, nemo nè pilo quidem vel teruncio uno à bono Senatu fuiſſet multatus. Sed nunc ceſſat admiratio; cur enim Regis cauſſam ſuſcepiſſent qui Chriſto litem intendebant? An vero ab iis expectàſſes qui Regem ſuæ rabiĕi immolare ſtatuerant, ut parricidarum animos retunderent? Nónne has accuſationes è curià exploſerunt boni Senatores, rotundo ore profitentes, *Nolle ſe amicos ſuos in inimicorum gratiam plectere.*

Tandem igitur ad ſummum flagitii apicem deventum eſt: Rex, ſi quiſquam mortalium, ſanctus, clemens, & juſtus, *Pater populi*, *pius Eccleſiæ nutritius*, *Orbis gemma*, *ævi noſtri magnus honos.* Et quamvis tot vitiis fuiſſet infamis, quot virtutibus erat auguſtiſſimus, tamen ſoli Deo obnoxius, & populis omnibus, ſuis præſertim, ſacer. Rex inquam, venerandum & divinum caput, à ſceleratà vilium nebulonum colluvie condemnatus, nefariam ſecurim innoxiâ cervice paſſus eſt. Væ monſtrum ſceleris horrendum, informe, ingens, ad quod cœlum & terra contremiſcant! *O fortis Deus ultionum Iehova! O fortis Deus ultionum exurge!* ------ Sed me reprimam, potiùs cum Chriſto, & qui eum ſecutus eſt *Carolo*, *Pater ignoſce iſtis*, *nam quid faciunt neſciunt.*

Cum optimo Rege conciderunt vetuſtiſſima Monarchia, & Eccleſia Reformatarum Illuſtriſſima, non niſi ſingulari miraculo

culo denuo erigendæ. Perierunt unâ cæde gemellæ clariſſimæ, ut ſæpius augurati fuerant viri ſapientes fore, ut qui alterutram interficeret ambas perderet, & quæ ſe invicem ſuſtentabant pariter ruinam traxêre: Ergo qui ſacrilegiis ſuffarcinati ambulant, iidem regiis ſpoliis ſuperbi cornua tollunt, & ſibi præbent operas mutuas Sacrilegium & Rebellio.

Hoc nobis reſtat miſerabile ſolatium, quòd qui utramque ſpoliârunt, prædones de prædâ certant: Sanè *Independentes Presbyterianorum*, commilitonum ſuorum marſupium exenterant, & ſpongias premunt Monarchiæ & Eccleſia ſucco turgidas.

Hîc verò operæ-pretium eſt obſervare, quomodo ſe ſuis ſtimulis configat Rebellio. Captivum Regem aſſervabant *Scoti Presbyterio addicti*, quorum fidei ſeſe Ipſe commiſerat. Eum modò *Anglico* Senatui venditum pari captivitate afflixit *Presbyteriana Anglorum factio*. *Independentes* verò exclamare, indignum facinus! Regem captivum detineri; Iura Majeſtatis proculcari; in Rege regnum univerſum ſervire ſervitutem: Nec mora, irruptione factâ illum cuſtodibus eripuerunt quaſi liberaturi. Sed poſtquam Regem aliquandiu demulſerunt libero ad eum aditu, repentè ſcena verſa fuit: Regem enim conjurationis fictitiæ terrore in inſulam *Vectim* compulſum triſtiore quàm unquam oppreſſerunt cuſtodiâ, & omnis ad eum aditus intercluſus fuit. Quem poſtquam aperuit Colloquium à Presbyterianis inſtitutum; ecce Regem nefaria Independentium veſania in medio Colloquio correptum, in alium & mox in alium carcerem detruſit, & tandem ad ſupplicium produxit. Hîc viciſſim Presbyteriani boare; quantum Gradivus Homericus; Regiam Majeſtatem violari, Britanniæ Regem & liberum eſſe debere, & Dominum, ejus vitam ſacram, in Regis incolumitate ſalutem populi ſitam. Adeò ſenſus Majeſtatis etiam rebellibus animis inſitus eſt, ut calamitate premente non evocatus erumpat victrice Naturâ.

Meminerint tamen Presbyteriani pari jure se Regem in carcerem detrusisse, quo Independentes postea eundem necaverunt; & ejusdem esse potestatis de Regis libertate, & vitâ decernere: Nec potuisse Regem jure in acie interfici, (quod summâ ope tentatum fuit) si contra jus, fásque fuerit à carnifice obtruncatus. Meminerint quoque hos sicarios à se Regi immissos. Meminerint quâ curâ, quâ sedulitate omnes undique parricidas conquisiverint; quorum quo quisque Regi infensior, & flagitiosè audacior, eo Senatui acceptior; ex hujusmodi hominum portentis exercitum conflatum, & in Regem armatum: Quorum si gladius à Regis jugulo in Presbyterianorum cervices convertatur; fiet iterum quod divina Nemesis in regnorum scenam sæpe produxit, quod populus semper lætus spectavit, ut Tyranni à ministris Tyrannidis exscindantur. Hanc ad rem strenuè viam insistunt Independentes, Presbyterianis summâ vi, & militari insolentiâ Senatu pulsis, quo fit ut aliam Tyrannidem, alios Tyrannos patiamur.

Nobis igitur hodie lis est cum Independentibus; hi sunt qui omnia jura divina, atque humana pedibus impuris proterunt. Non Religio retinet puritatem, non Leges Majestatem, non commercia fidem, non patrimonia proprietatem. Stat pro Lege insanum militum arbitrium; qui & Regis, & Senatûs potestatem involârunt, utrique terminos fixerunt, sibi nullos; sed perpetuo exercitu vesanam suam Ochlocratiam in omnia secula propagare meditantur. Hi sunt qui *verso pollice vulgi, quemlibet occidunt populariter.* Captivos suos, viros nobilitate & virtute primarios, subinde ad cædem producunt; optimos, & ditissimos quosque ad ruinam notant; omnium capitibus insultant. Sic subito Resp. legibus, & bonis artibus florentissima retro sublapsa est ad obscurorum seculorum barbariem, quando infirmiores.

Viribus editior cædebat ut in grege taurus.

Quia verò sancti Evangelii *Ministerium* sicariorum furori

rori maximè adverſatur, id ſedulo curant è ſuâ Rep. exulare. Ergò Miniſtrorum officium, ut iniquum, & illegitimum, execrantur: Et, ut cum Miniſtris Miniſterium, & Evangelium ipſum concidat, omnes Decimas, & proventus Eccleſiaſticos reſecare parant, quod quidem eſt Clero univerſo, & miſellis Dei ſervorum familiis aquâ, & igne interdicere, Evangelium porro extinguere, Deum ipſum finibus noſtris extorrem agere.

Proh Dei atque hominum fidem! hæccine patrari, hæccine laudari, & doceri? Hui patrantur, laudantur, docentur; non à Turcis, & Tartaris! Deus illis meliorem mentem dedit; ſed ab hominibus, qui Chriſtum profitentur, qui *Reformationem* præ ſe ferunt, qui toti ſanctimoniam crepant, qui propheticos ſpiritus anhelant. O ſpiritum vertiginis! O Satanæ imperium! O Dei patientiam! Imò iram, ſinentis ſacram Religionem in hominum animis aceſcere, & perditorum latronum furiosâ ſuperſtitione Evangelium ſummâ ignominiâ premi, quaſi doctrinam Rebuſp. fatalem, Regibus inimicam, humanæ ſocietatis luem, ſcelerum omnium inſtigatricem.

Hæc cùm animo volvens longas noctes inſomnis agerem, zelo Dei flagrans, & juſtiſſimâ ægrimoniâ æſtuans, ſenſi tandem venam Poëticam incaleſcere, & verſus poſtulabat indignatio. Sivi ingenuum impetum currere, eò liberiùs, & longiùs, quia fluente carmine dolor ſenſim detumeſcebat, quod ſane ægri animi levamen ſingulari aſſiſtentis Dei beneficio imputo.

Præterea cùm mihi jamdudum in animo eſſet, poſt alia hujus Argumenti ſolutâ oratione, & vernaculo ſermone à me conſcripta, aliquid Latinè edere quod apud tranſmarinas Eccleſias ſacræ veritati conſtans teſtimonium perhiberet, volui Argumenti ſummam verſu complecti; ſperans durabiliorem fore operam noſtram ſi numeris aſtringeretur; & acceptiorem, ſi rei acerbitatem mitigaret Carminis amœnitas.

Cùmque hæc facinorum portenta ſine juſtiſſimâ execratione pronunciari non debeant, omnino opus fuit Poëticum vigorem

advocare qui diras robustius intorqueret. Hoc tamen temperamentum sum secutus, ut sceleribus, non hominibus maledixerim; quibus rectum consilium hîc dedi, flagitiorúmque pœnitentiam, & bonam mentem, & Deum misericordem ex animo comprecatus sum.

Non deërunt altiora ingenia, quæ totam rei seriem, *Belli que causas, consilia, & modos* historiâ exponant. Quam ad rem etsi pares operi animos haberem, deëssent tamen homini profugo cætera ad tantum opus adminicula. At sanè Deus non se relinquet ἀμάρτυρον. Et hic conatus noster Christianæ Religionis innocentiam contra impurissimorum zelotarum sceleratum furorem pro modulo suo propugnabit : Fortè etiam ingenuis animabus (si quas impiæ factionis torrens abripuit) parricidii & sacrilegii horrorem , & rectæ mentis amorem ingenerabit.

Scribebam Anno salutis, 1649.

Æræ Martyrii CAROLI I. Regis Anno primo. Regnísque CAROLI II. Britanniarum, &c. Regis Anno primo.

ECCLE-

ECCLESIAE GEMITVS SUB Anabaptiſticâ Tyrannide.

METRVM PRIMVM.

QUàm triſte Cœli pallet occiduum latus!
Imóque ſidens axe Juſtitiæ jubar,
Vix nube ſacrum proferens piceâ caput,
Noctémque hyemémque ſempiternam præparat,
Lucem peroſus ſæculo lucem invidens.
En longa brevibus umbra de gurguſtiis,
Et parva quæque magna mentitur pavor;
Ferale ſtridunt Noctis infernæ ſtriges,
Lymphata ſtolidæ plebis Ignorantia;
Diſcordia pectus ungue ſecta livido;
Error, Furórque religioſus perperam;
Dirſſque raucæ devovent ululatibus

Solem cadentem; qui licet nitidum jubar
Obsessus opacis hinc & hinc vaporibus,
Quos fœdus Orci Tænarus eructat specu,
In margine terræ purus, & totus micat,
Radiósque in atrâ nube vibrat aureos.
Hunc Sponsa Christi, quâ nihil venustius
Viget Orbe, Pulcra, sed perusta Solibus,
Intenta rectis Totum ocellis accipit;
Qualis Tonantis aquila Titanem solet
Fixa irretorto contueri lumine.
Hoc nempe restat omnibus exutæ bonis
Cœleste lumen; prædia, argentum, domos,
Ipsámque Terram perditæ, penè aërem,
Catharorum ademit barbara Reformatio;
Cœlum reliquit; Orbis obtineant opes;
Ecclesia vivat spe, fide, precibus meris;
Vivat supernæ sola lucis pabulo:
Extorris, exul, improbæ tyrannidis
Opima nuper præda, nunc ludibrium;
Decora largis ora fletibus rigans,
Cruore stillans, ictibúsque lurida,
Scissam vepretis in fugâ pallam trahens,

Lace-

Laceróſque crines; per loca aſpera, ſquallida,
Nudo pede errat, ſola, deſerto avio
Deſertior Ipſa; Feſſa tandem humi ſedet,
Ad veteris orni caudicem retorridum,
In quo vigorem ſera lux, & languida
Refractione molliter recolligit.
Hîc calidum ab imo pectoris gemitum trahens,
Dilecto in Aſtro mœſta figens lumina,
Sic fatur. Itáne deſtitutam ſuſtines
Relinquere divi magna fax Evangeli?
O ſola virtus! quâ movemur, quâ ſumus,
Hujúſque vitæ principium, ejuſdem brevi
Finis futura! Sol facer, heu longum Vale,
Per quem valemus, quo cadente extinguimur
Benè eſt, perimet Me ſcilicet occaſus Tuus,
Sed redimet idem, vitam, & Te reddet Mihi:
Nuſquam fugis; Te viva, Te moriens ſequar,
Quacumque fulges; quo præis ſequor impigra.
Jamjam reducto carnis inerti pondere,
Mobilibus hærent hinc & indè brachiis
Plumæ volucres; geſtit animus aliger
Noctis ſupremum limitem prætervehi,

Præverſere

Prævertere Euros, aſſequi elapſum diem
Pernice pennâ; tota jam emineo foras:
Age Mors amica, jam reclude carceres,
Liceat volare; qualis arcu Serico
Excuſſa arundo properat, & ſtridens ſecat
Superátque nubes; Me ſuper aſtra torqueat
Robuſtus extremi impetus ſuſpirii.
Mox ter quaternis cincta gemmatum caput
Rutilabo ſtellis, Sole limpido & Meo
Amicta, trabeáque involuta luminis;
Parum eſt amiciri, tota ſolida lux ero.
Calcabo victrix Lunam, & Errorem vagum,
Pedibus premetur Nox, & Inconſtantia.
Deliquia Phœbi nulla Mihi dabunt metus,
Præſaga peſtis, & duelli lugubris,
Phœbéſve facies varia ventorum arbitra;
Nec Me furentes æſtibus reciprocis
Ultro, citròque Fluctus, aut Tempus ferent.
Pacem, Deùmque ter beata poſſidens,
Secura degam quid ſub axe mobili
Turbetur infra, quæ tremendum mugiant
Tonitrua dira, ſchiſmata, armorum fragor;

Totus

Totus procellis, Me profectâ, turbidus
Horrebit æther; quà patet ingens ſanguine
Stagnabit Orbis : protinus innumerabiles
Oeſtro furiali factiones percitæ
Odiis frementes mutuis, Eccleſiæ
Inane nomen ferro, & igne divident,
Poſt rem remotam: Væ miſerum morbi caput!
Nomen Pietatis colitur, ipſa vapulat.
Pietas quibuſdam tota prominet forìs,
Micare digitis docta geſticulantibus,
Canora, nitida, oculis, & auribus placens,
Sed ſub doloſo veſtis honore ſplendidæ
Jejuna, & ægra; ut viva ſolo cortice
Laté comantes alta ramos porrigit
Annoſa fagus, intus excſa, & cava:
Exilis aliis colitur in merum nihil
Pietas recocta, larva meteori levis,
Enervis, exſucca, abſque corpore impotens
Animam tueri, nec agere nec cerni potis,
Lychnóque flamma humore defecto evolans.
Quid? quod Pietatis otioſæ, umbratilis,
Faventia ſigna ſequuntur; & ſtipendia

Palàm

Palàm merentur, impotens opum fames,
Ambitio præceps, inſolens rapacitas,
Libido, cædes, omne fas verſum, & nefas,
Genus omne fraudes, nil inauſum linquitur;
Animante ſontes Hæreſi fanaticâ
Ad ſcelera, per quam cuique quod libet, licet,
Et ipſa ſceleri Religio prætenditur.
En perduelles, ſacrilegi, ſicarii,
Veteres prophetas ſanctitate provocant;
En parricidia dira, queis Lex culeum
Crucémque debet, præmia virtutis ferunt;
Pietas vocantur; his ad aſtra tenditur.
Nil tam nefandum, nil adeò ſævum, aut atrox,
Quo non peracta ſanguine Reformatio
Utatur, aut quod non probet; nil non placet
Zelo impudente Religionis oblitum.
Dum ſic dolori Nympha fletibus litat,
Et verba gemitu tertiata vix fluunt,
Ecce è propinquo nemore protinus advolans
Inopina bruto militum turma imperu,
Mediam querelam rupit, & queri vetans,
Queri coëgit, & lacrymis cauſſam addidit;

Talis

Talis ſalutem proditor Chriſto dedit,
Dandóque ademit; talis & illa militum
Judam ſecuta ſæviit hoſtilis cohors,
Illa auſa *Sponſo* afferre violentas manus,
Hæc auſa *Sponſæ*: hoc differunt, quod unicum
Turba illa Judam habebat; iſta plurimos.
Sed proh Deum! qui tandem, & undè? quod genus
Circumforanea vilium erronum manus,
Temerè coacta, qui laboris tædio,
Prædæque amore, à malleis, & follibus
Ad fabricandam convolant Eccleſiam;
Ut nempe faciant, quæ fuit aurea, fictilem;
Vates novelli è plebe ſellulariâ,
Sutrina docuit quos veteramentaria
Quæ Religioni ſolida ſegmenta aſſuant.
Heu! quos tumultus, quas dedit tragœdias
Falſo Pietatis candidus gypſo Furor!
Oeſtróque fervens ſcilicet prophetico
Deſidia plebis, bilis atræ Lurido
Incocta ſucco: hui! temperamen improbum,
Ardentia pulſans viſcera, & emotum caput!
Ergó igne, ferro, cædibus promiſcuis,

Parant

Parant nefandi Meſſiæ mitiſſimo
Immite regnum, quale ſibi finxit furor:
Eccleſiámque uti reforment, vah ſcelus!
Jugulant Parentem, ſi modo hoſtium eſt Parens,
Quales ſenile guttur hausêrunt patris
Mentem venenis efferatæ Colchicis
Peliæ puellæ, fundere effœtum ſenis.
Juvenémque aventes ſanguinem refundere;
Væ dira Pietas, habilis in ſolum nefas,
Adimere vitam prona, reddere impotens!
Sacra & profana ſúúſque déque corruunt
Jus enſe ſtricto dicitur, Leges ſilent
Ubi Jura dat vis, arma ſola altum ſonant:
Quicquid timetur, juráque ſervat, impii
Injurioſo milites pede proruunt;
Nempe ut verendi ſacra fax Evangelî
Armis nebulonum ſola in orbe ſit potens,
Violatur ante, ſcelùſque militat Deo.
Rex ergo, quo nîl ſanctius aut auguſtius
Iudulſit Orbi maximus rerum Parens,
Horreſco referens, mille poſt ludibria,
Heu ſacra nefandæ colla ſecuri præbuit.

Hîc

Hîc Muſa vaſto merſa luctûs gurgite,
Paulùm reſiſte, jam numeros neſcit Dolor.

METRVM

SECVNDVM.

AT Turba zelo percita ſtolido, effero,
Duces ſequuntur altioris ingenî;
Tetricos Tyrannos, ſubdolum & ſævum genus,
Adulterinâ ſanctitatis infulâ
Obnubilatos artifex ſcelerum caput;
Nullo putantes arbitro mortalia
Temere rotari, & utile Dominis, Deum
A plebe credi, credere ipſis noxium;
Simulare prudens, ut ſine re nomen Deus
Frænum rotando ſit popello ſimplici,
Quacumque avaræ placuerit Tyrannidi.
O quos cachinnos clam Tyranni muſſitant!
Cum juſſa periclis objicit ſtultum caput,

Animáſque viles prodigit plebs obſequens,
Pietatis ergó! dum ſtudent cuti, gulæ,
Aleæ, popinis, & vagæ libidini;
Læti ſaginis de cruore publico,
Cautæque Atheorum militat cupidini
Superſtitioſæ bruta plebis amentia.
En ut popelli colla ſublimes premunt,
Riſu ſuperbi, qualis urſo ſimia
Nare alligato geſticulatrix inſidet;
Vanúmque vulgus ora diſtorquens trahit.
Sed ut Tyranni commodè rebuis ſuis
Mobilibus animis ingenerent fanaticos
Regántque furores, ad manum Tyrannidis
Habent miniſtros, leguleios rabulas,
Et Pſeudoprophetas, ferreæ frontis viros;
Queis pulmo largus, clara vox, vacuum caput,
Et lata crudo felle turgent pectora;
Diras crepantes ore ſulmineo minas,
Cædes, ruinas, perduelles ſpiritus,
Merámque Erynnim, cujus afflatu igneo
Anhela flammis corda plebis æſtuant,
Similes juvencis ignivomis Jaſonis,

Flagrante

Flagrante tacta concremantibus halitu;
Nec plus magiſtris in receſſu pectoris,
Quippe ora geſtant flammea, mentem bubulam.
Porrò Prophetæ, moribus proprias ſuis,
De ſordida pice ſquallidas faces gerunt,
Luminis avaras, prodigas fuliginis,
Quarum vapore ſerus opacatur dies,
Faciéſque ſordent improbæ gerentium,
Turbæque ſequentis; ſponte quaſi depingeret
In ore reorum crimen atque infamiam,
Vultúmque menti concolorem redderet.
Ergò atra turba, ferro, & ignibus horrida,
Piceúmque odorem Tartari latè ferens,
Nympham ſalutant, dona portant ſeduli,
Injuriáſque tot ferunt, quot munera,
Hui munera dira quæ ſolum, & cœlum horreat!
Largum innocente ſanguine ſpumantem lacum;
Gladiúmque eodem purpuratum murice,
Etiam calentem; tum coronæ divitis
Manibus ſceleſtis diſſolutæ floſculos;
Et comminuti triſtia Sceptri fragmina,
Trabeæque clarum ſyrma, geſtamen pii

Magníque Regis; & ſacri ſi quid ſuper
Habitûs verendo nuper ereptum Duci.
At munus aliud, ingenuas proceres manus
Poſt terga vinctos, infimi maſtigiæ
Trudunt trahúntque; ſtemmata & mitras rudi
Collecta faſce, prægrave furciferis onus,
Dorſo gerentes, quo meliús furcam gerant.
Hæc trita, quaſſa, jacta tandem, humum gravi
Fragore pulſant, ad tremulos Nymphæ pedes:
Unúſque vatum, ſplendida quem impudentia,
Odiúmque rectæ mentis aliis prætulit,
Hæc dona turbæ totius inſtar offerens,
Sic dura loquelis ora ſolvit igneis.
Formoſa Chriſti Sponſa, cœlorum potens,
Princépſque Terræ, cauſa noſtris unica
Finíſque bellis, accipe quas ſoboles Tibi
Haud inficianda conſecrat manubias
Piè cruenta, ſanguinem, exuvias, duces
Mancipia factos; ſume primitias leves,
Donec patentis qualibet Orbis unica
Victrix, ſuperbis inſilias cervicibus
Regum tremendorum; obtere Regalis notas

Faſtus

Faſtûs, & omnes exitio Reges dare
Aſſueſce in uno; ſede quem dejecimus
Axis Britanni, legitimum, & noſtrum licet;
Ut clara celſo conſpicienda fulgeas
Regina ſolio; juréne, aut injuriâ,
Inſuper habemus; Jura ſub noſtris jacent
Protrita pedibus; nulla Majeſtas ſuper
Jurata ſtolidi ſolvitur Obſequii fides,
Tuæque Mater pulſa cedit Gloriæ.
Hæc fuſum abundè Gloria penſat ſanguinem,
Quem medica venis elicuit rabies Tuis;
Malum omne laudes, alma quod ſequitur Salus.
Per prava nobis ad bonum teritur via;
Nil nos morantur Sanguinis aut Patriæ pudor,
Amicitiæve ſacra jura, vel Fori,
Legúmque ſtultis inſita reverentia,
Simpléxque honeſtum quando pugnat utili;
Aranearum ſtamina, quæ ſolos queant
Culices morari, nos violavimus impigri,
Et tota penitus rupimus ſubtemina.
Famam ergò Sancti tempſimus, illam futilem
Virtutis umbram, corpus ipſum extinximus

Ubicunque nocuit; ingenitúmque mentibus
Æquum, bonúmque, niſi ubi fortè profuit;
Promittere proni, pejerare ſtrenui,
Injuriáſque ſeduli rependere,
Benefacta nunquam; ſplendidè, & ſanctè omnia,
Quia Te reformant, commodíſque ſerviunt
Noſtris, Tuíſque; pectora ſcrutantem Deum
Teſtamur, iſta candidè, purè, & piè
Rectáque mente perperrata crimina:
O ſancta voluntas, tene quis memoret ſatís!
Quâ ſurgit ab ipſo crimine Reformatio,
Et in Pietatem adoleſcere docetur ſcelus.
Circumſpice diro templa Marte diruta,
Et ſacra templis exulantia dirutis,
Errantia paſſim villicorum examina
Villis aduſtis, æqua terræ mœnia,
Patrióſque campos oſſibus albentes ſuis;
Et religioſa devoventes prælia
Confoſſa juvenum pectora amplexos patres;
Tria concremata ſceptra, noſtro ſpiritu
Præbente folles, halitúſque flammeos;
Illa, illa tandem ſæva, ſed prudens via
Chriſto

Chriſto, Tibíque Sponſa regnum comparat:
Non tanta vacuis res geritur ſermonibus,
Queis rauca latè pulpita, & ſcholæ ſtrepunt;
Rapite, cremate, perdite, cædite, vertite,
Sic arma mancam Religionem ſarciunt,
Praviſque cultum demere Ceremoniis
Mentes docentur; hæc Theologia prævalet,
Meliúſque linguis, tela falſum dedocent.
At fortè docendo perire doctores bonos
Videas, rapítque Mors Theologos milites
Acerba; quid tum? dum pereunt nos vivimus,
Congeſtáque celſos nos faciunt cadavera;
Quiſquam ruinis horridam patriam objicit?
Benè eſt, ruina publica privatum eſt Lucrum;
Hinc læta ſanctis metitur enſibus ſeges:
Hac nempe ſorte naſcimur humanum genus,
Ut clade multorum unius conſtent opes.
Tum Terra ſolis cælitus electis datur,
Et totus Orbis fundus eſt Eccleſiæ;
Quod jure noſtrum eſt, jus ſinit per vim capi.
Hinc hinc colonos ejiciamus improbos,
Dominorum opibus ferocientes ſervulos,

Gentem Cananæam, crucibus & ſecuribus
Devota capita, noxios prædæ datos;
Queis clauſus Olympus, nil in Orbe juris eſt.
Age nunc triumpha; nunc fruitor victoriâ
Generoſa Nympha, nunc animis ultoribus
Immitte habenas; hos pede captivos preme
Sanctè protervo, Nobiles, fortes, ſuo
Auſos Monarchæ (vah nece plectendum nefas)
Perſtare fideles; incute vim, juſtiſſimo
Furore, dextræ fulminantis ictibus.
Hunc Tu ſociorum jam rubentem ſanguine
Enſem nocentum penitus abde pectori,
Committe capulum vulneri, manum impio
Imple cruore, cæde, trunca, confode;
Omnes coronæ perde rivales tuæ
Reges, & in Orbe regium ſi quid ſuper:
Nec ſit cruentis finis ante cædibus,
Quam fræna equorum proluat exundans cruor;
Maliſque cæſis in vacuum veniant boni;
Tunc Tu impiorum (ſacra ſecundùm oracula)
Secura lavabis ſanguine hoſtili manus,
Tuámque Sponſi conferes victoriæ;

Scilicet

Scilicet uterque ſanguine victor extitit,
Niſi quod alieno vicimus, Ille proprio.
At Te per illa chara Sponſi vulnera
Mater rogamus, ô procul hinc procul exulet
Hoc viperinum virus; hæc Siren Tibi
Falſum renidens, Hydra, portentum, lues,
Erebóque Erynnis edita, quam Pacem vocant,
Eheu redeunti dira procedet comes,
Juſtitia Paci, conſcia nutrix, & ſoror!
Hæccine gubernet? at tuis rapti nihil
Natis relinquat? Hæccine cuique quod ſuum
Immiſericordi domina lance dividat?
Cædes, rapinas, cætera quæ prophetico
Æſtu calentes perpetravimus pii,
Severa trutinâ penſitet politicâ?
Nec dicere contra proſit, impetu entheo
Jubente, quodvís liberè admiſſum nefas
Pietatis ergó? nec ſceleris cauſam Deum
Finémque crimini advocatum adducere?
An Marte partas Juſtitiæ ſtultiſſimi
Tradamus habenas, ex dominis facti rei?
Sparſóſque flores in coronam denuo

Coäleſcere

Coaleſcere patiamur in noſtram necem ?
Hem dira nomina, Obſequium, Leges, Fides,
Pax, Rex, vetuſti ſacra Majeſtas ſolii.
Quæ audita nobis cholica cient tormina,
Noſtrá ſne pergent premere conſcientias ?
Amica potius arma ſemper imperent,
Gladiúſque victor edito fulgens loco,
Latè tremendus obtineat ſceptri vicem.
Quin patria rivis ante ſanguineis fluat,
Et ſola campis horreat haſtarum ſeges,
Quam libera priſco colla ſubdamus jugo ;
Regémque, nomen ſemper electis grave,
Noſtræ feramus immemores victoriæ.
Neque hæc, Britannis littoribus coercita,
Domi quieſcet, inſatiata Regii
Sitis cruoris : Euge magnanime furor,
Per Orbis omnes angulos victricia
Circumfer arma ; per maria, & terras feros
Perſequere Reges : nec ſit armorum modus,
Quin totam ab imis erutam radicibus
Stirpem ſuperbam, & nominis veſtigia
Exterminârit Orbe victor *Iſraël.*

Sic

Sic cum ſeveris purpuratus ignibus
Nubis coruſcæ fulmineis vectus rotis,
Cœlo redibit Chriſtus, Orbis unicus
Princeps futurus, hui! quibus ſe gaudiis
Mulcebit, iſtis inveniens terras ſibi
Armis ſubactas, undique hoſtes impios
Cæſos ad unum, facta, tranſacta omnia,
Nihílque ſceptro conterendum ferreo!
Prædis onuſti, laureis victricibus
Caput impediti, Regiíque ſanguinis
Oſtro decori, Meſſiæ Regi obviam
Curremus ovantes, Dúxque magnus debitam
Geſtis rependet bellicis adoream.

METRUM.

METRVM TERTIUM.

SErmone diro, quo Furor, & Crimen ſimul
Intrita, cœlo Tartari teterrimum
Mittunt odorem, Nympha diriguit comas;
Labefacta ſubitus oſſa concuſſit tremor,
Trepidúmque pectus; ictáque bruto fulmine
Orationis, concidit exanimis ſolo.
Ut quando preſſus nube ſulphureus vapor
Tonitru tremendus, humido erumpit ſpecu,
Celeríque rapidas impete flammas concipit,
Simulac volucres Auſter alas addidit,
Trans aera recto limite præceps devolat,
Et obvia ſternens quæque, viatorem ſolo
Affligit; ille pallidus, gelidus, ſtupens,
Vitæque ſenſu vacuus, immotus jacet;
Non pulmo, non vena, reciprocant motus ſuos.
Sic Nympha jacuit, donec idem Illam dolor

Per

Per quem ſtupebat excitavit, acriùs
Pungens jacentem; ſigna vitæ primula
Lachrymæ, venuſtis largiter affuſæ genis;
Quibus ut violentus affatim indulſit dolor;
Primúſque torrens nonnihil deſæviit,
Locúmque verbis fecit, hoc ſilentium
Sermone rupit. O mihi ter veneranda Crux!
Cunabula noſtræ prima quondam infantiæ
Nutrix, Corona, fundus eadem uberrimus,
Scholæ Magiſtra debeo virtutem tuæ;
Exercita vivo, & calcibus Tyrannicis
Calcata vireſco; ſed malorum hoc inſolens
Immane pondus, heu miſellam præfocat;
Nec ut anté nervos ſuſcitat, ſed conterit;
Hem parce, nimis, ô jam nimis incumbis gravis.
Unci, leones, Picea tunica, Torminum
Sævitia quicquid ingenioſa protulit,
Docuére feſſam fortiùs reſurgere;
Vegetíque laſſis Martyres tortoribus,
Semiuſtulatis jubilabant faucibus;
Sacris Amoris ignibus atque Gloriæ
Flammæ calorem hoſtilis abſorbentibus,

Ut

Ut Sol minores luce vividus aureâ
Extinguit ignes : creſcit adverſis Fides.
Sed ut odia noſtras extera vires nutriunt,
Interna frangunt: Quid mihi nunc animi ſuper?
Cum parricidæ, mente lymphatâ truces,
Lacerant parentis intima nati viſcera :
Hoc morte pejus, diripiunt vivæ cutem,
Ægræ, trementis, corpore toto ſauciæ,
Mendacia unde pallia,& larvas ſecant,
Quibus colorem præferant Eccleſiæ,
Ipſa interemptâ ; en iſta vix languens traho
Laniata ſævis membra factionibus,
Orbæque cæſâ prole, magis tamen dolet
Furioſæ Erynnis veſte traduci Fidem,
Et carnificinâ pollui Templum Dei,
Nec quod patior, ſed quod faciunt,urit malum.
Tumidâ feroces mente, fortunâ ebrii
Nimiùm ſecundâ, crimina jactantes palàm,
Nefanda Matri munera, natorum ferunt
Calidum cruorem, victimáſque maximo
(Qui cuncta juſtis facta pendit lancibus)
Abominandas, filios mactant Patri;

Evange-

Evangeliíque Pacis impoſitum ſibi
Multùm frementes excutiunt collo jugum;
Chriſtum docentes ſcilicet, quam non benè
Parum virili vinxerit obſequio ſuos,
Ignava ſævis colla ſecuribus jubens
Præbere placidos, & genas cædentibus,
Crucémque libentes ferre; non imponere.
Sublimiorem moribus inſiſtunt viam
Fortes ſceleſti, principum ſolio graves,
Regum Tyranni, ſanguine regnum regio
Chriſto parantes, mentiúmque erroribus
Simplex adhibentes pharmacum, errantum necem.
At qui uniformem diligit normam Deus,
Oculis ab alto lucidis vigil annotat,
Veterum Pietati Chriſtianorum aureæ
Immane quantum diſcrepet lymphaticus
Novitiorum parricidarum impetus,
Nec tantum Eoo diſtat Heſperium latus;
Capreſſque tigres differunt, agnis lupi,
Quantùm vetuſto diſſidet zelo novus;
Hoc nempe veteres convenit inter, & hos novos,
Quod Martyribus, lorariíſque convenit,

Iſtis

Iſtis cruciare ſtrenuis, illis pati;
At ſanè utrique ſibi coronam comparant,
Spinam verendâ de Crucis arbore Martyres,
Aurum violato Principum capite Alteri.
Priſci modeſtâ magnanimi patientiâ
Fregere minacis impetum Tyrannidis;
Odium, poteſtas, arma, Majeſtas, furor,
Dedere victas obſequio tandem manus;
Sic Chriſtianum ſe ſubitò miratus eſt
Subactus Orbis, Imperiique Meſſias
Regnavit aulâ, ſed perit, heu perit novâ
Rebellione, quicquid obſequium vetus
Chriſto paravit; quippe qui pridem Deo
Reges dederunt nomina, diris omnibus
Superſtitionem devovent ſicariam,
Dominis minacem, Principum & Legum luem;
Evangeliúmque ferreum vocant jugum,
Lethale regnis; criminique vertitur
Chriſto mihíque, quicquid iſti inſaniunt;
Hominúmque culpam ſacra plectitur Fides.
Vos teſtor animæ degeneres, ſoboles mihi
Nunc inficianda, Mænadum potiùs genus;

An

An Me docente ſpiritus lymphaticos
Hauſiſtis? unde hæc diſciplina cædium?
Rabido boatu ſtrepera rumpens pulpita,
Quæ ſanguinolentâ diluvie patrium ſolum
Latè cruentat, & ruinis obruit,
Leges refigit, dejicit ſolium loco,
Furiis popellum, ipſúmque tranſverſum rapit
Miſerè Senatum: Promite Annales ſacros,
Evolvite Faſtos, ſi qua veſtræ forſitan
Patrocinentur ſacrilegæ dementiæ
Exempla meorum: præferunt vobis facem
Donatus, Arius, & Simones efferi,
Galilæus alter, alter ortus Gazarâ:
His vos magiſtris nequiores diſcipli
Matri didiciſtis ferre Thyeſteas dapes,
Veſtro necata ſcelere chara pignora,
Capitíque corpus immolare Eccleſiæ.
O mihi liqueſcat ſollicitum lacrymis caput!
Quibus fleatur Phoſphororum extinctio,
Quos lucida nuper ſuſpiciebat ſidera
Britannus Orbis; pro quibus poſitas gemit
Tenebricoſi fætidas ignis faces,

Picei rotantes ſquallidos fumi globos,
Lucere ſegnes, fervidas incendere.
Audetis etiam tot ſceleribus nobiles,
Fratrum laniones, Me Parentem dicere?
An Me putatis copulâ execrabili
Veſtro genitori conjugatam Dæmoni?
Ille, ille vobis ingenerat fanaticos
Animi tumultus; ille vos ſibi liberos
Similes adoptat, litis, & cædis Parens.
Sed mea benigno, beneficóque Spiritu
Proles creatur, obſequens, mitis, placens;
Procul modeſtâ fronte ſupercilium & minæ,
Nocere nulli prona, prodeſſe omnibus,
Et Chriſtianâ mitigans infantiâ
Si quid gravioris Rector impoſuit jugi
Collo patienti, cedere fortis, & pati,
Etiam datura Principi jugulum ſuo.
Equidem furentes, mente ſedatâ queo
Hoſtes amare, ſed inde materno nihil
Perit vigori, iræve decedit ſacræ,
Quibus abdicatos læſa natos execror,
Gentem Satanæ nunc adoptatam ſuo,

Quorum

Quorum ſceleribus aurea ſordent nomina,
Zelus, Pietas, Eccleſia, Reformatio.
O Chriſtiani generis ingens dedecus!
Zeli obtegentes nomine Parricidium,
Perjura turba, Tartareæ belli faces,
Siticuloſæ ſanguinis Harpyæ truces,
Tigres, hyenæ, cerberi, corvi, lupi,
Eccleſiæ ulcus, ultima regnorum lues,
Ut hanc Averno progenitam veſaniam
Sævam, impudentem, barbaram, phreneticam,
Superûm Inferúmque conditor malè perduit.
Atrum furorem, quotquot in vivis, boni
Abominentur; ac velut viſum procul
Rictu cruento ovilia vaſtantem lupum
Clamore ruris inſequuntur incolæ,
Urgent moloſſis, & ſudibus, & ſaxis petunt,
Vos totus irâ proſequatur vindice
Orbis, generi contrarium humano genus;
Et quæ Mihi hæret macula per veſtrum ſcelus,
Veſtram profundo frontem inurat ſtigmate,
Verósque Mundus vos nocentes horreat.
Niſi forté Chriſti cætibus pulſos, ferum

Diri Mahometis vos ſibi ſociet pecus,
Paritate morum conciliatum, quippe quod
Legem propagat cædibus horrendis ſuam;
Ac hercule vobis juſtius,& fidelius.
Hinc fugite fœdi in horrida teſqua vultures;
Crudámque fallant carnis humanæ famem
Projecta equorum,vel canum cadavera;
Repetite Furiæ noctis æternæ Chaös,
Audetis etiam cernere lucidum æthera?
Infuſa porcis legio dira Dæmonum,
Orci profundo mox miſeros in gurgite
Datura peſſum: Vóſque Dæmonum hoſpites,
Febriculoſo concita zelo pectora,
Quibus à furiali liberam mentem jugo
Sanúmque pectus, quamlibet iraſcens, precor;
Audite veſtris debita factis præmia.
Ut miſſa cœlis fulmina indignantibus,
In vos rubente flammea vibret déxterâ,
Qui celſa Olympi tecta tonitru concutit:
Ut conciliatâ partium diſcordiâ
Natura concors juret in veſtrum caput;

Si

Si quid beato copia Cornu porrigit,
Stomachos voraces præ gravet, non nutriat.
Sceleríſque veſtri Terra pondus non ferens,
Nefanda ſidens decipiat veſtigia.
Vobis procellas ſpiret, & malum Jovem,
Luémque flatus peſtilentis Africi;
Coméſque peſtis, ignis exedat ſacer
Ardentia ſævo veſtra zelo viſcera;
Nec, ignis amantes, ignis unquam deſerat:
Quæ perduellis devorârunt Abiræ
Comites ſceleſtos, flammeæ voragines,
Inimica veſtris lumina ſtent conviviis:
Vino ſepultos ebrióſque crimine
Invadat ignis, mox populante incendio
Curia Tyrannis plena ſedentibus ruat,
Ambuſta lapſu proterens cadavera,
Pauci ruinæ publicæ ſuperſtites,
Poſt longa fracti bella, & exhauſti fame,
Per omnia vecti maria, dextram vindicem
Fruſtrà fugiatis æviterni Judicis;
Quæ vos inimico naufragos, inopes, vagos,
Oſtendat Orbi, exempla parricidii

Odiosa superis, execranda gentibus;
Nec sit fugitivos qui lare, & foco juvet.
Ergo refectis classis impia navibus,
Passura divinæ ultionis turbines,
In rabida pelagi tormina propellamini;
Donec decumanis verberatas fluctibus,
Post multa ventorum, & maris ludibria,
Æstus solutas Syrtibus illidat rates,
Torrénsque avaro sorbeat unda gurgite,
Ratiúmque tabulis Afra pulset littora.
Tum Maura sævo natio fluctu sævior,
Manus malignas porrigat enatantibus,
Factura servos, remigésque; & rustico
Robusta corpora destinans ergastulo:
Sed mox rebelles agnitos, Britanniæ,
Orbísque pestem, rejiciat madidos truci
Statim hauriendos, nè solum inficiant, salo.
Tamen hæc sceleſtis mors, laborum terminus,
Desideranda, si nocentum spiritus
Efflatus ore, solutus in nebulas leves,
Sensúque vacuus, cederet in liquidum æthera;
Quibus negatur esse, nîl restat pati:

Sed

Sed vivit eheu poſſit ut æternùm mori.
Mors ferrea ſævi lictor Orci, perfidos
Impenitentes rapit in obſcurum Chaös,
In quo rebelles magnus ille rebellium
Princeps fatigat, dum ſimiles natos ſui
Amplexus, ulnis implicat pater igneis;
Et propria torret torridus ipſe pignora.
Imò ante funus jura præcipiens ſua,
Uncis rebelles ſæpe prenſat unguibus,
Et ægra Stygio corda torquet verbere.
Scitis ſceleſti gravia crimine pectora,
Quæ vos ſilente monſtra nocte territent,
Quis membra ſubitus eripiat ſtratis tremor;
Quoties ſopitos excitant innoxii
Gemitus cruoris, viſa ſub pedibus feris
Lacera cruentum patria ducens halitum;
Ingéníque Carolus pallidus, exanguis jacens,
Tuens acerbum, conſcia figit pectora.
Diróque ſacras injicit jugulo manus.
Sæpe & cruentas cernitis in ſomnis cruces,
Fulgura cadentis fulminis in nocuum caput,
Cultros, ſecures, pérque dehiſcentis ſoli

Vaſtos hiatus, Tartara caligantia.
Hæc & vigilantes ſomniatis; hæc jecur
Pejùs Promethei cura Vulture lancinat;
Laqueúmque, Judæ Pharmacum narcoticum,
Mox irrequietis, attonitis, inſomnibus,
Obtrudit horrida Vejovis inferni manus,
Facilíque nodo nectit, & collo induit.
Hem! vóſne cujus facta dira imitemini
Funeſta ſtultos fata non horreſcere?
Agedum ſalutarem agite penitentiam,
Dum ceſſat etiam extrema deſperatio;
Puro lacrymarum fonte victus ſtrideat
Rebellis ardor; ut ignis, ære torrido,
Intinctus undæ, multa remurmurans fugit.
Eſt pœnitentis crimen omne piabile:
Nullum pietare majus eſt Chriſti malum;
In arida ſaxa melleo Mannæ Deus
Deſcendit imbre, cordáque dura ſæpius
Læti favoris rore perfundit ſacro:
Germana adhæret Pœnitentiæ Salus.
Quid hoc? odioſæ vocis icti verbere
Fremitis ſceleſti ad nomina Pœnitentiæ!

Iræ

Iræ impotentis conſcius invaſit rubor
Facies ahenas; ignis oculis emicat,
Frontémque firmat impudens ſeveritas,
Pravam induente perfidiâ conſtantiam,
Quæ Tartara ſpernit, Pœnitentiam timet.
Hem, quæ truculentâ torva fronte lumina!
Pellens ruborem pallor, & oris aſperi
Rugæ minaces; tum gladii ſubito manus
Inſerta capulo, quid paretis indicat.
Agite, fidelis præmia ſæva conſilî,
Rependite cædem; ſanguinem ſitientia
Rigate rabidi guttura veſtræ ſanguine
Quondam Parentis, pignorúmque funeri
Adjungite Matrem; barbare quid ceſſas Furor
Perficere Matris corpore natorum ſtruem?
En iſte lato fervidùm ebullans lacu
Noſtris recenter prodiit venis cruor;
Hæc veſtra vobis dira refundo munera.
Sic fata, totis Nympha viribus lacum
Connixa levavit, & calidum certâ manu
Excuſſit in ora ſacrilegorum ſanguinem;
Et *noſter in vos*, inquit, *& veſtrum genus*

Sanguis

Sanguis recurrens fumet ad ultorem Deum,
Capitíque nocuo semper incumbat gravis.
Non ulla cruoris gutta perperam excidit,
Vilísque caterva, sanguine icta missili,
Menti cruentæ congruos vultus tulit.

METRVM QUARTVM.

VT tensa quondam concutientes vincula
Sparsus juvencos agitat in rabiem cruor,
Perfusa rore sanguineo, lymphaticâ
Exarsit irâ dira carnificum cohors.
Strictis repentè confodiunt mucronibus
Christi maritam, & altera menti vulnera
Truces acutis ingeminant convitiis.
Execrabilis Megæra, quam Parentem perperam
Credidisse, vel vocasse, seriò sanctos piget,
Arma túne sacrosancta sæva nobis eripis?

Túne

Túne pii ſtimulum furoris ſuſtines retundere;
Túne mancos, túne claudos facere victores paras?
Tu maligna, tu noverca, perdere electos cupis?
Sícne nervos exſecari ſancta patiatur ſuos
Imbecillâ fortitudo fracta Penitentiâ?
Regium reſurgere culmen, cadere nos, & exui?
Penitentia eſto ſoli ſordida peccato comes;
Neſciunt peccare Sancti, ſcilicet in Chriſto manent.
Attamen facti fideles unjus nos pœnitet,
Quod ſequuti, quod venerati te veneficam ſumus,
Téque vitæ ducere auram tam diu permiſimus;
Hæc moram penſabit hora, morere Lamia perfida,
Vulnerumque dic tuorum Tartaris hiſtoriam.
Traxit minarum turbo grandinem ictuum,
Et diva mille Nympha telis ſaucia,
Vulnúſque tota, preſſit exanguis ſolum.
Repentè totus imbre ſanguineo pluens
Cohorruit æther; vidit, & expavit nefas,
Atráque Titan condidit caligine
Inutile lumen, deficiente Eccleſiâ.
Reſixa utrinque cardine nutârunt Poli;
Fatiſcere rerum læſa compagem ſacram

Natura

Natura ſtupuit, protinus immanis tremor
Luxata Terræ concutiit fundamina,
Scceleris nefandi ſubter iniquo pondere
Sidente Mundo; ſic ubi triſtem domus
Caſum moratur auxiliaris ſublica,
Tibicine dempto cortuit incumbens onus
Quaſsíſque tectis plurimus it cœlo fragor.
Luporum ululatus, ſibili ſerpentium,
Strigum remiſti funereis ſtridoribus,
Vagæque circum compita nocturnæ canes,
Tenebroſa diro horrore complebant loca:
Audita cavernis murmura ſubterraneis
Ditis profundi, & Eumenidum jubentium,
Cavo ſonore, qualis ex adytis ſonat
Emota Phæbas, jam ſibi Mundum dari;
Pereunte quippe deſtitutum Eccleſiâ,
Factum repentè Tartari provinciam,
Sua regna Avernum jure ſibi repoſcere.
Tænaria terris umbra noctis incubat,
Lux nulla, niſi quæ nubibus eliſis micant
Intorta fumo lurida flammæ ſpicula;
Ruit ſonoris æthra tempeſtatibus,

Clau-

Clauſúſque cæcis montium radicibus
Concepit ignes ventus, & ſurſum viam
Sternit, barathro rumpitur immani ſolum;
Convulſa ab imis Terra mater ſedibus,
Et lacera retro properat in primum Chaös
Natura volvi: publica rerum protinus
Corruit in hoſtes verſa ruina publicos;
Flagrante latè miſta grando fulmine
Impacta cuneos perduellum diſſipat;
Vagos dehiſcens, noctis in æternæ ſpecum,
Sorbet vorago; montiúmve ruentium
Novos Gigantes ſaxea truncant fragmina:
Superſtitéſque per avia diverſos agunt
Ventus, procella, fulgura, nox, terror, furor,
Armata flammis Numinis ira vindicis,
Pejórque letho conſciæ mentis pavor.
At dum ruit æther arduus, & Tellus tremit,
Nymphæ jacentis, omnibus invictæ malis,
Conſtantia Paci juncta firmabant ſolum,
Magíſque mentem; quam Deo conjunxerat
Victrix doloris ſacra amoris ecſtaſis:
Divæ cruorem Terra fuſum combibens

Fœcunda

Fœcunda violis luxuriatur,& roſis;
Verni teporis Elyſius circum tenor,
Aër procellis liber,& tenebris dies.
Favente nempe lapſus Olympo Meſſias
Sponſæ benignus anxiliator aſſidet,
Quatiénſque magnâ fræna ventorum manu,
Rapidi tumultus ætheris, ut quondam, increpat;
Reliquum per Orbem impune tempeſtas furat,
At Chriſti amicæ ſedeat æternùm comes
Pax alma Cœli; & Ille, cui ſomnos leves
Cum navigaret, ipſe jactatus ſali
Fluctus ſuaſit, turbine in ſimili Suam
Suæ quietem nunc jugali commodet.
Sed nè jacentis fugiat anima vulnere,
Dextrâ medente profunda claudit vulnera,
Venas cadentes fulcit, & natantia
In Mortis atro gurgite lumina ſuſcitat;
Animæque fortis,& vigentis indicem
Faciem ſerena temperat fiduciâ.
At candidati ſedula cohors Angeli
Ægram Sabæis recreänt odoribus,
Alíſque lenes aureis Zephyros creänt;

Tum

Tum cruda fuſo vulnera curat balſamo,
Cui maximus Orbis haud pretio certaverit,
Quod nempe ſanguine,& lachrymis Chriſtus ſuis
Compoſuit ipſe, vulneribus Eccleſiæ
Præſens medendis, omnibus ſatis unicum:
Mors ergò gelidis abſtinuit complexibus,
Quæ ſauciam ulnis comprimebat oſſeis;
In rigida ſenſim membra reptavit calor,
Et pallida notâ labia tinxit purpurâ:
Amor, Fidèſque utrinque, pulvilli vice,
Manibus medicis recline ſuſtentant caput;
Mollémque præbens Innocentia culcitram,
Placidam quietem, non adhuc ſomnum facit:
Cui ſcilicet udis aridum vaporibus
Nuper cerebrum liquerat effuſus cruor,
Idémque remotâ fæce ſublimaverat
Animam capacem; quæ vigil, & compos ſui
Admotáque cœlo, magna, mira, illuſtria,
Accepit oculis viſa perſpicacibus,
Carnis tenebroſo non videnda lumine.
Obſeſſa nullis lucida nubilis
Lætis refulſit æthra coloribus,

Riſúque

Riſúque diducti benigno
Sponte fores patuêre cœli.
Repentè Cœlo prodiit Angelus
Titana claro lumine provocans,
Cui ſyrma virgatum Pyropo,
Et rutilo radiabat auro.
Pingebat alas fulgida remiges
Intexta Eoïs purpura ſapphyris,
Auríque, diſtincti, micabant
Igniculis virides ſmaragdi.
Sæpe in virorem purpura tranſiit,
Oſtrum fefellit cæruleus nitor;
Pelluntur alterni colores
Arbitrio trepidantis alæ.
Plauſus volucris remigii levis
Demulſit auris æthera mollibus,
Sparsítque cæleſtes odores,
Et croceo pluit imbre cœlum.
Vibrata vultus lumina flammei
Attemperabat dulce nitens decor.
Qui pectus, & vultus jacentis
Vivifico recreävit igne.

Agnovit

Agnovit amicum Nympha legatum alitem,
Qui nempe Sponſo cælitus alloquium dedit,
Cùm mente totam præcipiens mœſtâ crucem,
Lacrymis in horto ſanguineis horreſceret,
Sudans cruentùm; nunc ſimilem preſſæ malis
Operam maritæ præſtiturus advolat.
Ille ergo ſacrâ fronde nexam porrigens
Cœlo coronam, dulce & auguſtum ſonans,
Sic ora ſolvit; ſubſtitit auſcultans Polus.
Nympha, genus Cœli, ſummi nurus alta Tonantis,
Hanc, Tibi, quæ cingat victricia tempora, laurum
Promeruit proprio perfuſam ſanguine Chriſtus:
Hæc licet ambabus cœleſtia præmia palmis
Spéque, Fidéque ſimul teneas, non tempora circum
Donec anhelantes extremo in pulvere ſolvas
Carnis equos victrix, toto certamine functa.
Sic ſponſo gradibus ſurrexit Gloria miris,
Dedecoris, ſævæque Crucis, mortíſque cruentæ:
Ergo horrens ſpinis, torvè ſudore decorus
Sanguineo, immenſíſque laboribus exantlatis,
Arduus aſtriferum victor perrupit Olympum
Vertice, & æterno ſpinam diademate vertit.

Nec tamen auratis aſſurgens Gloria pennis
Militiæ finem poſuit; commilitat ultro,
Compatitúrque Tibi; Sponſo quid juncta tremiſcis,
Militiæ conſors, olímque futura triumphi?
Euge brevem obdura fortis tolerare laborem,
Jam Te triſte jugum laſsâ cervice ferentem
Proxima Libertas niveis circumvolat alis:
Nempe labans Tellus labefactáque regia Cœli
Mox facient grandes quaſſo fundamine rimas;
Protinus erumpes è carcere libera fracto,
Obtritíque ferent laxâ compage ruentem
Sacrilegi propriis emotum fraudibus Orbem.
Non alios carnis ſervili compede vinctæ
Libertas aditus aperit, fruſtráque timorem
Spémve Tuam exercet rigidæ falx aſpera mortis.
Illa quidem certâ carpit Tua pignora dextrâ,
In Matrem nîl juris habet; exponat amico
Naufragio, in portu magnæ Tua membra Salutis,
Altera ſuccedent; me diáque in Morte ſuperſtes
Membratim moreris, integro corpore viva.
Cynthia dum vario fulgens argentea vultu
Legibus æquoreos certis moderabitur æſtus,

Lumina

Lumina nocturni dum ſcintillantia Cœli
Subluſtres facient tremulo fulgore tenebras,
Alternáſque vices brumæ meſsíſque reducet
Qui duodena rotat volucrem per ſidera currum,
Fortia perpetuæ produces ſtamina vitæ,
Non nece, non ſenio, non expugnabilis hoſte.
Ille quidem effuſis furiatæ mentis habenis
Te ferro flammáque ferox urítſiue ſecátque,
Sed modò vivaci prodis generata favillâ
Fotior, & fuſo deſanguine cæſa reſurgis,
Ut melior ſecto ſuccreſcit palmite vitis;
Et Tecum toto pugnans Acheronte, nihil Te
Debilius cernit nec ſentit fortius hoſtis.
Macte ô noſter amor! inimici terror Averni,
Et Tua non ulli cedens Conſtantia damno,
Provocet immoto libratos pondere montes,
Et ſolidum ſaxo terrai perpetis axem,
Nec Tibi longævis cœlum certaverit annis.
En Natura Tuo menſuram ducit ab ævo,
Nam ſimulac carnis evades vincula, Tempus
Stabit, & injiciet celeri ſufflamen Olympo;
Mundus & antiquo nihili ſubſidet abyſſo;

Scilicet impoſito removeberis axe columna,
Magnum Atlantæis ſuſtentans viribus Orbem.
Hunc modò ſenſiſti, Te deficiente, fatiſcentem,
Horrifico ſubitam fremitu minitante ruinam;
Sed Deus, ut pateant venturæ tempora proli,
Ecce Tibi paucos trepidum firmavit in annos.
Vanus & ille timor, quo Te Regina fatigas,
Nè Sol Juſtitiæ, vita Tibi charius Aſtrum,
Occidat, & nigrâ faciem caligine condat.
Hoſtibus ille tuis, nunquam Tibi Nympha, latebit,
Et ferrugineâ merget radios Eclipſi:
Scilicet indignans, rabies quod cæca catervæ
Lucifugæ, excludens tecto duplicíque feneſtra
Dulce jubar, fatuos privatim accenderit ignes;
Ilicet æternâ, quam quærunt, nocte fruantur
Gaudentes ululæ tenebris, vel luce malignâ;
Eumenidúmque faces, nocturna incendia, torres,
Sole procul, præſtent tenebroſæ lumina turbæ:
Sed Tua ſalvifico radiabit lumine Goſcen,
Dum mala Tartareis Ægyptus torpet in umbris;
Et priùs effracto lucis temone quadrigæ
In diverſa ruent, aurigáque pronus Olympo

Excidet

Excidet in terras, & cum Titane cadet lux,
Quàm vel Evangelicum ſubeant deliquia Solem,
Aut oculis quæras cœleſtia lumina cœcis;
Sed clara æternùm divinæ filia lucis
Stabis, & in medio figes tentoria Sole.
At quæ fœda jubar circumſtant nubila ſanctum
Obſcœno hoſtilis ſceleris collecta vapore,
Fundet in autores immani rupta procellâ,
Qui paribus plectit mortalia crimina pœnis,
Invertens gravidos irarum grandinis utres:
Et tuus in ſontes ignito plurimus imbre
Armatus Nemeſi deſcendet vindice ſanguis.
Ille petita diu victorum præmia portans,
Tempora non lauro, ſed tortâ cannabe collum
Cinget, & eliſo ſub Tartara gutture mittet
Sacrilegos, paucis communi à ſorte redemptis,
Auxilio pia Nympha Tuo; quo ſæva rependens
Vulnera, poſt Sponſum facies hæc mitia vota,
Clavis foſſa manus, & acutis tempora ſpinis,
Parce Pater, meritáque feros nè perde ruinâ,
Qui noſtrum effundunt ignarâ mente cruorem.

Pectora quorundam ſeri veríque doloris
Tranſadiget gladius, horrendo conſcia facto,
Factum etiam Paulum de percuſſore videbis.
Qui creat ex duris *Abrahamo* pignora ſaxis,
Mortua vitali qui corpora ſuſcitat aurâ,
Marmoreos quandoque ſinus, inimicáque corda
Molliet, & flammâ divini ſingit Amoris;
Tunc melior recto decurret tramite zelus,
Quique priùs nocuit quondam Tibi ſerviet ardor.
Sic tandem dubiis ſurget tibi Gloria rebus,
Bellum, incerta quies, intextáque triſtia lætis,
Damna trahens, lucrum, commiſta infamia laudi,
Cætera quæ cæcâ raptum vertigine Tempus
Multiplici temere perplexâ ambage volutat,
Omnia conficient magnam Tibi Nympha ſalutẽ,
Jactatæque Deus faciet per devia callem.
Donec fulmineo latè tremeſiat Olympus
Angelicæ clangore tubæ, Tellúſque labaſcens
Mugiat, atque imis reboet concuſſa cavernis,
Antrorúmque cavis eructet ſaucibus ignes,
Queis incenſa crepet, cõprenſáque machina Cæli

Corruat,

Corruat, & rerum moles reſoluta liqueſcat,
In priſcum revoluta Chaos : Túque alite curtu
Ardua quadrijugis rapiaris in æthera ventis,
Occurſura Tuo denſa inter nubila Sponſo :
Quicum ſidereum ducens Regina triumphum
Angelicos inter plauſus, matrémque beantes
Felices natos, æterni ad limina Regis
Pervenias ; qui Te vitaï fonte jubebit
Impleri, & toto divini luminis alveo,
Emeritúmque caput juſtâ radiare coronâ.
Hoc Angelus ægræ cælitùs alloquium dedit,
Totámque penitùs ſuſtulit ægritudinem ;
Sed læta vocem clauſerat admiratio,
Radióſque lucis æviternæ vividos,
Mortalia ultra non ferentia lumina,
Demiſſa ſenſim roſcus invaſit ſopor :
Qui blandiente dulce ludens ſomnio,
Abiturientem, pennâ Amoris alite,
Inſeruit Aſtris, & beavit ſpiritum ;
Gemmea reducens ora fidelis Angeli,
Sibíque divinum accubantem conjugem,

Qui ſpe futura præcipientem præmia,
Totámque Amoris colliquatam gaudio,
Lentis amicam continuit amplexibus.

Cant. 3. 5.

Adjuro vos filiæ Ieruſalem, per capreas cervoſque camporum, nè ſuſcitetis neque evigilare faciatis dilectam, donec Ipſa velit.

Magni

Magni Manes

CAROLI I.

Regis & Martyris.

FInierat lucis nox intempeſta labores,
Inſpergens tacitis lethæa papavera terris;
Sed mihi, blanda aliis invitamenta ſoporis,
Nutribant vigiles nocturna ſilentia curas;
Lugenti Regíſque necem Templíque ruinam,
Et mœſto penitus de pectore ſingultanti.
Protinus ad Phœbes vitreis inſerta feneſtris
Lumina, viſa fuit ſancta, & feralis imago
Ingentis Caroli; non quo nunc ſidera vultu,
Sidereúmque Patrem divina luce coruſcus
Aſpicit,

Aſpicit, atque Dei ter Majeſtate verendus,
Sed quo ſacrilegis interfectoribus ultor
Imminet, fœdas hominéſque Deumque peroſi
Angit Oliveri fauces, ſtratíſque rebelles
Eripit, occulto torquens fera pectora flagro.
Pallor in ore ſacro, macies, cava lumina, torvus
Aſpectus, cervix cæſa & male ſarta, vacillans
Vix caput attollens, delabentémque coronam;
Juſſerat impexos ſanies concreſcere crines,
Et crudo horrendum ſtillabat ſanguine barba.
Ille cavum, tumuli tanquam de fornice, murmur
Edidit. O noſtros, inquit, miſerata labores!
Quantũ animi viréſque dabant; quæ præmia virtus
Noſtra ferat cernis: hos nempe Senatus honores
Promiſſos longum, longũ oblatóſque paratóſque,
Ecce Mihi totâ cum ſorte & fœnere ſolvit.
Nam Mihi quam triplices non indulſere coronæ,
(Denſiùs heu tribulis quã gemmâ auròque rigẽtes)
Dira piam potuit requiem præbere ſecuris,
Æternúmque decus: ſic dat leo roſcida mella,
Sic fert ſpina roſas, ſic fit medicina veneno.

Atque

Atque utinã Mors hæc, magnæ Mihi janua Pacis,
Hanc pareret terris; nec noſtris hoſtibus eſſet
Fauſta minùs quàm læta Mihi vox ſanguinis hujus
Æternùm per Me ſileat; nec Principe cæſo
Cædibus alternis Regi tria regna parentent.
Ah nil vota juvant! fumat tellure receptus
Nunquam arens frigénſve cruor; juſſúſque ſilere
Ejulat infandum & gemitu cœlum omne cievit.
Eheu quàm tetricis denſatur in æthere nimbis
Regali de cæde vapor! quis ſulphuris atri
Turbo ruit, rutilæ contorta volumina flammæ
Agglomerans, aliam conflagratura Gomorram!
Tum Dæmon tumidos genio vertiginis utres
Fudit in inſanum pelagus fluitánſque popelli;
Unde ciet ſpumas ſeſe frangentibus undis,
Et quas vorticibus ex imo abraſit arenas,
Ad ſummum attollit, tum rurſus in ima reſorbet:
Littora mox ſuperans, disjectis undique Legum
Molibus, horrificam, nullo cohibente per agros
Diluviem volvit, medium facit omnia Pontum;
Oppida, villæ, arces, Regũ monimenta vetuſtorũ

Intereunt ſubitò, longis vix condita ſeclis.
Ecce jacet noſtro fundens de vulnere vitam
Regnum antiquum ingens, in Principe detruncatũ;
Et miſeranda comes, confoſſa Eccleſia, Regi
Incubat, atque ſuum Domini cum ſanguine miſcet.
Euge! animos ipsâ de cæde Britannia carpit;
Non toti occidimus, diráque Tyrannide preſſa
Fortiùs erigitur extingui neſcia Virtus.
Ut quondam impoſiti ſaxis arctata Veſævi
Multa fremens alitur ſecreto fomite flamma;
Inde cavum latè montem comprendit, & omnis
Obicis impatiens ſolidi penetralia ſaxi
Rumpit, & effractis ſurſum ruit alta caminis:
Æquora ſulphureâ fervent Tyrrhena procellâ,
Arváque candentes torrent Campana favillæ:
Terrifico motu, atque horriſono mugitu
Littora tota tremunt; trepido fugit agmine vulgus,
Ardentes pagos, & tecta ruentia vitans;
Palantum inſequitur piceus veſtigia torrens.
Non alios rapidè Mea gens erumpet in æſtus,
Irritata malis, & iniquo pondere ſudans,

Diſplodétque

Diſplodétque graves diris ultricibus iras.
TumMea progenies,ubi nullum invenerit hoſtem
Obſequii memorem, Sua quem Clementia ſervet,
Viribus inſurgens divis,& jure paterno;
Herculeos ardens animos, animíſque lacertos
Conſimiles tollet, & formidata rubente
Fulmina torquebit dextrâ, quæ bruta Gigantum
Agmina, verſa ſuis mixtim cum montibus, alto
Culmine de ſolii cœnum in natale revolvet;
Titanéſque novi, ſcalarum mole ſuarum
Obtriti, propriis ſic fraudibus urgebuntur,
Ut gravis Enceladi premit ignea pectora tellus
Trinacriæ, centúmque gemens incudibus Ætna.
O nè fracta malis regalia corda fatiſcant!
Per mille arctarum perplexa volumina rerum,
Per trepidos belli caſus, modo gloria ſurget
Multa Deo,ſoboliſque meæ;requiémqueBritannis,
Grande decus regno, ſua per contraria condit,
Mirandis vicibus, magno molimine Numen.
Sic vitam ex letho lucémque accendit in umbris,
Conſilii æterni non veſtigabile textum.

Dixit

Dixit & extemplo majorem aſſumpſerat ingens
Humanâ ſpeciem, ſacer auguſtúſque videri;
Ore procul macies, & torvo lumine ſquallor;
Sed roſeo fulgore nitens, oculíſque ſerenis
Dulce jubar vibrans, mox Phœbo clarior ipſo,
Indutúſque homini non aſſpectabile lumen
Mortales oculos fugit, cœlúmque reviſit.

IN URBE REGIA SINE REGE, ANNO REGIBUS FUNESTO, MENSE NULLIS FEBRUIS EXPIANDO, DIE ATRO:

BRITISH MUSEUM

FINIS.

ERRATA.

PAge 1. lin. 5. perosus, lege, perosо. pag. 8. lin. 11. Suusque, lege, Susque. lin. 16. fax, lege, lex. pag. 10. lin. 11. rebuis, lege, rebus. pag. 38. lin. 5. anxiliator, lege, auxiliator. pag. 39. lin. 1. fnso, lege, fuso.